

protulerunt. Ante tamen oportuit Theodoretum dicere anathema Nestorio, juxta disciplinam scilicet Ecclesie constantissimam, non recipiendi ad communionem aut sedem suspectum de hæresi, nisi præmissis anathemate in eam ejusque auctorem: quæ ratio etiam fuit, cur diverso modo Conc. Chalcedonense egerit cum Theodoro et Iba, quam cum Eusebio Doryleensi sine formula hac enuntiata suscepto, quamvis hic non minus ac illi ab Ephesino Conciliabulo fuerit depositus.

## ARTICULUS IV.

*An Romanus Pontifex summam habeat auctoritatem?*

190. *Nota.* Quam num. 149. de Concilio proposuimus quæstionem, eandem et hic tractamus: auctoritatem summam accipiendo scilicet pro INERRANTIA PONTIFICIS, et irrefragabilitate judiciorum; materiam restringendo ad eosdem terminos fidei, morum et factorum dogmaticorum; per judicia autem definitiones positivas, perspicuas et certas intelligendo. Præterea vero in Papa duplicem quasi personam distinguimus; considerando eum jam ratione suppositi ut hominem præcise seu doctorem privatum, jam ratione officii ut summum Pontificem, seu ut constitutum a Christo universalem Doctorem ac Magistrum omnium fidelium; discrimine olim jam in disputatione Rustici Ecclesie Romanæ Diaconi contra Acephalos insinuato, et postea in Libello ad Clementem V. a Gallie Proceribus etiam usurpato. Ut *Doctor privatus* spectatur, dum Papa absque potestatis propriæ ostentatione, opinionem dumtaxat suam et sensum velut personalem ac privatum exponit: spectatur ut *Doctor universalis*, dum auctoritate publica usus ut supremus Ecclesie Magister aliquid proponit toti Ecclesie, obligans omnes fideles sub anathemate seu pœna hæreseos ad illud propositum assensu interno ac fide divina credendum: sic vero enuntians dicitur loqui *ex cathedra*; phrasi ex Matth. 23. v. 2. ad indicandam præceptivam docendi auctoritatem desumpta.

Locutionis hujusmodi velut *conditiones* afferuntur, servata definientis a metu et violentia immunitas, præmissum rei decernendæ maturum examen, præhabita Ecclesie Romanæ seu Cleri, nunc Cardinalium, consultatio, et fusæ ad Deum ante definitionem preces: his a Gallis adhuc, pro suæ Ecclesie libertate, prævia causarum in loco ubi natæ sunt præparatio, et certarum loquendi formularum absentia tanquam requisita adjunguntur: ab aliis e contra, præter libertatem in Pontifice requisitam, cætera omnia rejiciuntur.

Quantumvis vero videatur Spiritus sancti assistentia, Petro illiusque successoribus promissa, non pendere per sese ab humanis hisce adminiculis, nec illis a Christo fuisse alligata; quia tamen a gubernatione hominum divinitus etiam instituta non respui debet modus agendi rectæ rationi ac prudentiæ accommodatus; ac ipsi præterea Pontifices potestatis suæ usum ad has regulas semper conformarunt, quin et ubi ad Galliam causæ pertinebant, ad illius mores se composuerunt: hinc requisita ista haud difficulter permittimus, cum cautela tamen hac gemina: 1°. Ut ea plus aut minus exigantur pro varia materiæ qualitate: 2°. Ut non teneantur fideles inquirere aut scire an media hæc sint adhibita; sed certi de Pontificia ad

omnes fideles directæ, eosque sub anathemate ad assentiendum obligante, propositione solemniter edita, possint ac debeant supponere omnia necessaria fuisse observata, nisi manifeste constet de opposito: quandoquidem alias ipsius Ecclesie infallibilitas et Conciliorum œcumenicorum auctoritas simili ex capite elevari etiam posset, et intemperantissima crisis supremum sibi judicium in res omnes dogmaticas arrogaret; cum tamen certum sit, Deum in necessariis ibi non defuturum, ubi infallibilitatem ipse promisit, res autem omnino exigit.

Porro controversia non est de Pontifice ut *Doctore privato*; cum omnes ultro concedant, Papam sub hac consideratione, non minus ac homines alios, errori obnoxium, ejusque sententiam reformationi subesse. Versatur itaque tantum circa Pontificem, ut doctorem universalem et supremum Ecclesie Magistrum seu ex cathedra loquentem, materia et judicio ad memoratos limites reductis. In hac vero controversia, altera, quæ Gallis tribuitur, sententia statuit Pontificem infallibilem non esse, nec definitionem ejus irrefragabilem, ante quam accedat consensus Ecclesie, aut congregatæ in Concilio, aut saltem per orbem diffusæ: altera, quæ a BENEDICTO XIV. in ep. an. 1748. ad Inquisitorem generalem Hispaniæ data, extra Galliam *ubique recepta* dicitur, sententia tenet, etiam independentem ab Ecclesie consensu Pontificem e cathedra loquentem inerrantia, ejusque definitionem immutabilitate pollere; quam nunc, quantum rerum multitudo patitur, paucis asserendam et vindicandam suscipimus.

191. *Dico.* Romanus Pontifex e cathedra loquens in materia fidei, morum et factorum dogmaticorum, habet summam auctoritatem: seu ipse quidem est infallibilis, ejus definitio autem irrefragabilis ac irreformabilis, etiam independentem a consensu Ecclesie. Probatur Auctoritate; et quidem;

I. Ex *SCRIPTURA*, quæ duplicem præcipue nobis textum suggerit, alterum Matth. 16. v. 18. *Et ego dico tibi: quia tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam; et portæ inferi non prævalebunt adversus eam:* Luc. 22. v. 31. et 32. *Simon, Simon, ecce Satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum: ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua; et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Horum uterque 1°. Convenit Petro ut contradistincto ab aliis Apostolis; cum Christus interrogatione ad omnes præmissa, et mentione diabolicæ omnium cribrationis facta, ad solum Petrum, nomine proprio ac pronome compellatum, orationem convertat: 2°. tribuit eidem speciale donum ad utilitatem Ecclesie; quale est ratio *fundamenti* in ordine ad ædificium Ecclesie, et indefectibilitas fidei ad confirmationem fratrum: 3°. declarat hoc donum concedi Petro, non ut personæ privatæ, sed ut publicæ ac præpositæ; quia sustentare Ecclesiam aut *confirmare fratres* officium est præsidis ac superioris: 4°. id ipsum adstruit Petri successoribus; tum propter transiturum ad eos idem officium, tum propter perpetuitatem Ecclesie et necessitatem confirmandi posteros.

His præmissis pro *textu primo* suppono ex num. 107. 110. et 115. infallibilitatem Ecclesie illis verbis rite probari; ex iisdem autem nunc argumentor: Vi verborum Christi apud Matthæum infallibilitas non tantum tribuitur Ecclesie, sed etiam petræ ac fundamento: sed non Petrus tantum, verum



etiam ejus successores Romani Pontifices, sunt petra et fundamentum Ecclesiae: ergo infallibilitas tribuitur etiam Romanis Pontificibus. *Subs.* Atqui infallibilitas tributa et conveniens petrae ac fundamento non dependet ab Ecclesiae adjumento: ergo infallibilitas Romanorum Pontificum est independens ab Ecclesiae consensu.

Major constat ex ORIGENE ap. S. Thom. in Catena. *Non exprimit, utrum petrae non praevalerent, in qua aedificat Christus Ecclesiam; aut Ecclesiae, quam aedificat supra petram: tamen manifestum est; quia nec adversus petram, nec adversus Ecclesiam portae praevalerent inferorum:* EPIPHAN. in Anchorato: *Solidae illi petrae supra quam Ecclesia fundata est, portae inferi non praevalerent:* LEO ep. 73. ad Leon. Augustum: *Cum Petrus ex Domini voce audivit: Tu es Petrus etc. quis est, nisi antichristus aut diabolus, qui pulsare audeat inexpugnabilem hujus petrae firmitatem?*

Similiter Minor patet ex AUG. in Psalm. cont. part. Donati: *Petri sedes ipsa est petra, quam non vincunt inferorum portae:* S. MAXIM. in ep. ad Marinum: *Sancta Romanorum Ecclesia est fundamentum solidum et maximum, contra quod portae inferi nullo pacto praevalerent juxta ipsiusmet Salvatoris promissionem:* Theodor. Studita ep. ad Naucrat. *Coryphaea sedes, adversus quam non praevaluerunt per omne seculum, nec praevalerunt usque in finem seculi inferorum portae, ora videlicet haereticorum, sicut promisit ille, qui non mentitur.* Similia de Romana sede enuntiant Joannes Patr. Constantinopolitanus in libello ad Hormisdam, Petrus Damiani Opusc. 38, Aelredus in Isaiam etc. Item ex AMBROS. in Psal. 40: *Ipsa est, cui dixit: Tu es Petrus etc. Ubi ergo Petrus, ibi Ecclesia; ubi Ecclesia, ibi nulla mors:* Chysolog. in epist. ad Eutych. *Petrus in propria sede vivit, et praesidet, et praestat quaerentibus veritatem:* Possessor Ep. Afric. in epist. ad Hormisdam: *A quo magis nutantis fidei stabilitas expectanda quam ab ejus sedis praeside, cujus primus rector a Christo audivit: Tu es Petrus etc.* Similia de Romano Pontifice scribunt Ignatius Constantinopolitanus in ep. ad Nicolaum, Anselmus Ep. Lucensis cont. Guibertum, et Anselm. Cantuar. L. 3. epist. 15.

Denique *subsumptum* colligitur tum ex significatione petrae, quae per sese, ac sine respectu ad aliud, firmitatem importat: tum ex data Petro appellatione, qui nomen et rationem petrae accepit ante formationem Ecclesiae; tum ex paritate domus materialis, cujus stabilitas desumitur a fundamento, adeo ut pro hujus soliditate vel mobilitate Luc. 6. v. 48. et 49. aedificium daret aut cadat; non vero vicissim fundamenti constantia a firmitate domus dependeat. Unde citra mentionem consensus Ecclesiae, Petrum ac Romanum Episcopum vocat Hieron. in epist. ad Damasum *petram fidei*, CHRYSOST. in Psal. 50. *basin fidei immobilem*, Conc. VI. in Prophonet. *adamantem fidei cujus solida mens aggressionibus atque conflictibus alienae a fide opinionis non est vulnerabilis.*

Pro usu *Textus secundi*, suppono PETRO non tantum indefectibilitatem fidei collatam, cum Christus dubio procul pro sua reverentia sit exauditus; sed etiam cum confirmationis fraternae officio, certitudinem executionis assertam; cum fratribus sive Ecclesiae nihil profuisset, posse aut debere per fidem Petro donatam confirmari, si postulante necessitate reipsa non confirmarentur. Dehinc sic argumentor: Vi verborum apud Lucam Christus illi infallibilitatem tribuit pro quo oravit, ne fides ejus deficeret, et ut confirmaret

fratres: sed Christus hic oravit non tantum pro Petro, sed et pro ejus successoribus seu Romanis Pontificibus: ergo infallibilitas his fuit collata. *Subs.* Atqui infallibilitas hic collata non fuit pendula ab Ecclesiae consensu: ergo.

Major constat ex AUG. L. de Corr. et grat. c. 8. *Quando rogavit, ne fides ejus deficeret, quid aliud rogavit, nisi ut haberet in fide liberrimam, fortissimam, invictissimam, perseverantissimam voluntatem?* AMBROS. L. 4. de fide: *Ut scias, quia secundum hominem rogat, divinitate imperat; habes in Evangelio quia Petro dixit: Ego rogavi pro te etc. Eidem etiam respondit: Tu es Petrus etc. Ergo qui propria auctoritate regnum dabat, hujus fidem firmare non poterat, quam cum petram dixit, firmamentum Ecclesiae indicavit?* Leone Serm. 3. de Anniv. Assumpt. *Pro fide Petri proprie supplicatur, tanquam aliorum status certior sit futurus, si mens Principis victa non fuerit. In Petro omnium fortitudo munitur, et divinae gratiae ita ordinatur auxilium, ut firmitas, quae per Christum Petro tribuitur, per Petrum Apostolis conferatur.*

Etiam Minor patet ex CYRILLO apud S. Thom. in CATENA: *Secundum hanc Christi promissionem, Ecclesia Apostolica Petri ab omni seductione et haeretica circumventionem manet immaculata:* LEONE IX. in epist. ad Petrum Antiochen. *Haec Christi oratio: rogavi pro te etc. Obtinuit quod hactenus Petri fides non defecit, nec defectura creditur in throno illius usque in seculum seculi:* PASCHALI II. in Conc. Lateran. *Pro hac Ecclesia Romana filius Dei in passione sua oravit, dum dixit: Ego rogavi pro te etc.* Similia de Rom. Ecclesia scribunt Innocentius III. Serm. 2. de Consecr. Rom. Pont., Petrus Damiani Serm. 23. de Nativ. Joannis, Anselmus Havelburg. adv. Gracos, S. Thomas in exposit. symboli. Item ex AGATHONE in epist. ad Constantinum: *Consideret vestra clementia, quoniam Dominus, qui fidem Petro non defecturam promisit, confirmare eum fratres suos admonuit: quod Apostolicos Pontifices praedecessores fecisse semper cunctis est cognitum:* LEONE IX. epist. 1. ad Michael. Cerularium: *Erit ergo quisquam tantae dementiae, qui orationem illius, cujus velle est posse, audeat in aliquo vacuum putare? Nonne a sede Principis Apostolorum, tam per eundem Petrum quam per suos successores, convicta et expugnata sunt omnium haereticorum commenta, et fratrum corda in fide Petri, quae hactenus non defecit nec in finem deficiet, sunt confirmata?* ANSELM. Lucens. adv. Guibertum: *Cum pro fide Petri, ne deficiat, a Domino oratum sit; unius Romani Patriarchae fides, in qua fratres suos confirmet, nunquam deficiet.* Similia pro Rom. Pontifice ediderunt Innocent. III. ep. 20. ad Patr. Constantinopolitanum, Theodor. Studita ap. Gennadium pro Conc. Florentino, Albertus M. in hunc locum.

Tandem *Subsumptum* liquet; tum quia ex dictis promissioni et orationi Christi unice tribuitur haec infallibilitas, non autem Ecclesiae consensui: tum quia Rom. Pontifex in fide confirmat fratres, non ipse ab his confirmatur; ut textus aperte dicit, et Joseph Ep. Methonensis in resp. ad libell. Marci Ephesini urget: tum quia ratione privilegii prius jam dati Romanus Pontifex a Theodoro Stud. L. 2. epist. 13. dicitur *fontem vere illimis ac sinceris fidei*; a Tharasio in epist. ad Adrian. *Oculus totius corporis, ostendens rectam veritatis semitam*; ab Ignatio Patr. Constantinopolitano in epist. ad Nicolaum: *Medicus a Deo provivus sanandis Christi membris*: quae sunt metaphorae, nihil ab Ecclesia infallibilitatis accipi edocentes.

II. Ex TRADITIONE quae colligitur 1º, ex Conciliis oecumenicis, inter quae



Conc. Constantinopolitanum IV. act. 1. exhibet libellum ab omnibus Patri-  
bus subscriptum, ita loquentem: *Quia non potest prætermitti sententia Christi  
dicentis: Tu es Petrus etc; hæc quæ dicta sunt, rerum probantur eventibus:  
quia in sede Apostolica immaculata est semper reservata catholica religio et  
sancta celebrata doctrina..... sequentes in omnibus Apostolicam sedem, spera-  
mus ut in una communione esse mereamur cum illa, in qua est integra et vera  
Christianæ religionis soliditas: et in Lugdun. II. acceptata Græcorum fidei  
professio sic habet: Sicut Romana Ecclesia præ cæteris tenetur fidei veritatem  
defendere; sic et si quæ de fide subortæ fuerint quæstiones, suo debent iudicio  
desiniri.* His similia de Rom. Ecclesia referunt Viennense in Clementinis de  
Sum. Trin., et Florentinum in decreto unionis cum Græcis. Item in Conc.  
Ephesino Act. 2. Philippus Leg. Pont. ait: *Nulli dubium, imo seculis omnibus  
notum est, S. Petrum Apostolorum principem et caput, fideique columnam  
et Ecclesiæ Catholicæ fundamentum, a Jesu Christo regni cælestis claves acce-  
pisse, nec non per successores suos hucusque semper vivere, causas decernere,  
semperque victurum:* et in Constantinopolitano III. in epist. ad Agathonem  
Patres inquit: *Itaque tibi ut primæ sedis Antistiti, universalis Ecclesiæ  
capiti, quid agendum relinquimus, stanti supra firmam petram, acquiescentes  
veræ confessionis litteris, per quas, ut a summo Apostolorum vertice divinitus  
perscriptas, exortam nuper multiplicis erroris hæreticam sectam depulimus.  
In his concinunt de Rom. Pontifice in Chalcedonensi Act. 3. Legati pronun-  
tiantes sententiam in Dioscorum, et in Nicæno II. Act. 2. tum Patres omnes,  
tum maxime Tharasius et Joannes Ep. Tauromeniæ in acceptatione littera-  
rum Adriani: Utrisque addi potest Constantiense in censuris errorum Wicleffi,  
maxime trium primorum.*

2. EX PONTIFICIBUS ET PATRIBUS. Inter priores BONIFACIUS in epist. ad Epp.  
Orient. inquit: *Nemo unquam Apostolico culmini, de cujus iudicio non licet  
retractari, manus obvias audacter intulit: nemo in hoc rebellis extitit, nisi  
qui de se voluit iudicari:* et GELASIUS in epist. ad Anastas. Imp. *Hoc est,  
quod sedes Apostolica magnopere cavet, ut quia mundo radix est Apostoli  
gloriosa confessio, nulla rima pravitatis, nulla prorsus contagione maculetur.  
Nam si (quod Deus avertat, quod fieri non posse confidimus) tale aliquid pro-  
veniret, unde cuiquam resistere auderemus errori? vel unde correctionem  
errantibus posceremus?* Eadem de Rom. Ecclesia testantur Innocentius I. in  
epist. ad Carthaginenses, Gregor. in ep. ad Epp. Galliarum, Agatho in epist.  
ad Impp., Nicolaus in ep. 8. ad Michael. Imp., Joannes VIII. in epist. ad Petrum  
Comitem. Item SIXTUS III. epist. ad Joannem Antiochenum scribit: *Petrus  
Apostolus in successoribus suis, quod accepit, hoc tradidit. Quis ab ejus se  
velit separare doctrina, quem ipse inter Apostolos primum magister edocuit?  
absolutam et simplicem fidem, et quæ controversiam non haberet, accepit: et  
SIMPLICIUS epist. ad Zenonem. Perstat in successoribus suis hæc et eadem Apo-  
stolicæ normæ doctrinæ, cui Dominus totius curam ovilis injunxit, cui se  
usque ab finem seculi minime defuturum, ac portas inferi nunquam prævali-  
turas esse promisit.* Equalia de Rom. Pontifice proferunt Innocentius in  
epist. ad Milevitanos, Zosimus in epist. ad Carthaginenses, Agatho in epist.  
ad Concilii Patres, Nicolaus, Joannes VIII. et Leo IX. jam sup. laudati.

Inter posteriores, IRENÆUS L. 3. adv. hæc. c. 3. ait: *Ad hanc enim Ecclesiam  
propter potentiorum principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam,*

*h. e. eos, qui sunt undique fideles, in qua semper ab his, qui sunt undique fide-  
les, conservata est ea, quæ est ab Apostolis, traditio:* et CYPR. epist. 55. ad Cor-  
nelium contra Felicissimum et Fortunatum sic scribit: *Navigare audent, et  
ad Petri cathedram, unde unitas sacerdotalis exorta est, a schismaticis et  
profanis litteras ferre; nec cogitare eos esse Romanos, quorum fides Apostolo  
prædicante laudata est, ad quos perfidia non possit habere accessum.* Item  
HIERON. ep. 57. ad Damas. hæc inter alia eloquitur: *Apud vos solos incorrupta  
servatur Patrum hæreditas: vos estis lux mundi, vos sal terræ: Beatitudini  
tuæ, id est, cathedræ Petri communionem consocior: super illam petram ædi-  
ficatam esse Ecclesiam scio. Quicumque tecum non colligit, spargit; hoc est,  
qui Christi non est, Antichristi est. Decernite, si placet; et non timeo tres  
hypostases dicere: et AUG. epist. 137. In verbis Apostolicæ sedis tam antiqua  
atque fundata, certa et clara est catholica fides, ut nefas sit dubitare Catholicis  
Christianis. Alterutri parti de Romana sive sede sive sedente dictis congruunt  
Origenes L. 5. comment. in epist. ad Romanos, Hippolytus in Orat. de Con-  
summat. mundi, Flavianus in epist. ad Leonem, Maximus Mart. in epist. ad  
Thalassium et Marinum etc.*

3. EX ECCLESIS ET DOCTORIBUS. De Orientali Ecclesia testatur Justinianus  
Comes in causa de uno in Trinitate passo, scriptis Orientalium nomine ad  
Hormisdam litteris sic elocutus: *Imponite nobis semel susceptum laborem,  
etiam in hoc prædecessores vestros sequentes, et de hac intentione liberos nos  
properate reddere ac securos. Hoc enim credimus esse catholicum, quod vestro  
responso nobis fuerit intimatum: et Theodoretus post latrocinium Ephesi-  
num suo et Catholicorum nomine ad Leonem ep. 113. confugiens scribit:  
Si Paulus præco veritatis ad magnum Petrum se contulit, ut explicationem  
iis, qui de legalibus ambigebant, ab illo referret: multo magis nos humiles et  
pupilli ad Apostolicam sedem vestram recurrimus, ut Ecclesiarum ulceribus  
remedia a vobis accipiamus. Multis siquidem prærogativis ornatur sedes  
vestra: præcipue autem, illam fides ornat, cujus testis idoneus est Paulus  
clamans: fides vestra annuntiatur in universo mundo etc.* De Occidentali  
specimen præbent Africani Præsules e tribus Synodis ad Theodorum in  
Synodica quæ in Secretario 2 Conc. Later. sub Martino extat, ita scribentes:  
*Antiquis regulis sancitum est, ut quidquid ageretur, quamvis remotis in Pro-  
vinciis, non prius tractandum vel accipiendum sit, nisi ad notitiam almæ  
sedis vestræ fuisset deductum: ut hujus auctoritate, juxta quæ fuisset pro-  
nuntiatio, firmaretur; indeque sumerent cæteræ Ecclesiæ, velut de natali fonte  
suo prædicationis exordium, et per diversas totius mundi regiones puritatis  
incorruptæ manent fidei incrementa salutis: et Hispani e Conc. Tarraconensi  
ad Hilarum litteras mittentes: Proinde nos Deum in vobis penitus adorantes,  
cui sine querela servitis, ad fidem recurrimus Apostolico ore laudatam, inde  
responsa quærentes, unde nihil errore, nihil præsumptione, sed Pontificali  
totum deliberatione præcipitur. His addi poterant litteræ Theod. Studitæ ap.  
Gennadium, post Iconomachorum Conciliabulum ad Paschalem recurrentis,  
et Thomæ Cantuariensis ad Epp. Angliæ ac Joannis Sarisberiensis ad Alexan-  
drum epistolæ: nec minus Gallicanæ Ecclesiæ testimonia, de quibus tamen  
infra.*

Ex DOCTORIBUS sufficiant divus Thomas et S. Antoninus. Prior quidem 2. 2.  
q. 1. a. 10. in corp. sic inquit: *Dicendum, quod nova editio symboli necessaria*



est ad vitandum insurgentes errores. Ad illius ergo auctoritatem pertinet editio symboli, ad cuius auctoritatem pertinet finaliter determinare ea quae sunt fidei, ut ab omnibus inconcussa fide teneantur; hoc autem pertinet ad auctoritatem summi Pontificis etc. Et hujus ratio est; quia una fides debet esse totius Ecclesiae secundum illud 1. Cor. 2. etc. quod servari non posset, nisi questio fidei exorta determinaretur per eum qui toti Ecclesiae praest, ut sic ejus sententia a tota Ecclesia firmiter teneatur. Eadem habet ibid. resp. ad 2<sup>um</sup>, q. 11. a. 2. ad 9. et de Potent. q. 10. a. 4. ad 13. Posterior autem p. 4. tit. 8. c. 3. §. 5. inquit: Ratio, quare fides Ecclesiae in generali deficere non potest, est quia divina providentia Ecclesia regitur, scilicet Spiritu sancto eam dirigente, ut non erret. Et licet Papa in particulari (h. e. ut contradistinctus ab Ecclesia universali) errare possit, ut in judicialibus, in quibus proceditur per informationem; alias in his quae pertinent ad fidem, errare non potest, scilicet ut Papa in determinando, etiamsi ut particularis et privata persona. Unde magis standum est sententiae Papae de pertinentibus ad fidem, quam in judicio proferret, quam opinioni quorumcumque sapientum.

Ne alios addam, facit testimonium Ruardi Tapperi, quod Tract. 3. Theol. num. 6. et 7. edit his verbis: « An autem Praepositus familiae Christi falli possit in sua sententia, quando cognoscit circa fidem et mores fidelium, sicut Reges et Episcopi in suis judiciis, ab annis centum et quinquaginta coeptum est disputari in utramque partem. A tempore enim Concilii Constantiensis et Basileensis, Doctores quidam apud solum Conc. oecumenicum docent esse infallibilis sententiae privilegium. Veteres vero scriptores Petro totius familiae Christi praeposito, et Romano Pontifici post Petrum in terris Vicario, ejusque cathedrae, proprium esse hoc privilegium infallibilis sententiae, concorditer ex Scripturis tradunt. »

Prob. RATIONE. Et quidem I. ex momentis Juris.

1<sup>o</sup>. Romanus Pontifex est centrum unitatis; ut ex num. 101. aliisque praesentis Capitis constat: ergo fideles omnes debent, non tantum communione, sed et fidei professione, cum Pontifice convenire, et sicut lineae in centro concurrere. Atqui si Pontifex non foret infallibilis in dogmaticis, nec deberent nec possent cum eodem convenire in fidei professione fideles; cum alias ad errorem tenerentur, et Ecclesia universa posset in errorem induci: si autem Pontifex tantum infallibilis evaderet ex consensu Ecclesiae, mutato jam concursu apice et dissipata unitate, fidelium alter ad alterum et Pontifex ad communitatem tanquam ad centrum ferri deberet. Ergo.

2<sup>o</sup>. Romanus Pontifex est universalis Pastor, Rector et Doctor; ut ex pluribus Scripturae ac Traditionis testimoniis passim allatis apertum est: ergo fideles omnes eidem debent non tantum externam obedientiam, sed sincerum mentis obsequium; quia Pastori animarum, Rectori conscientiarum, et Doctori salutis, solum exterius sine interiori obsequium haud respondet et satis esse nequit. Atqui auctoritas cui sincerum mentis obsequium debetur, infallibilis sit necesse est; cum iniqua esset obligatio, et quidem sub anathemate, assentiendi rebus fallibilibus ac incertis: praeterea auctoritas haec jam ante assensum infallibilis supponi debet; cum infallibilitas sit ratio determinans assensum, aliasque Pastor ob ovibus, Rector a subditis, et Doctor a discipulis vim suae manuactionis, imperii ac doctrinae acciperet: ergo.

3<sup>o</sup>. Romanus Pontifex etiam in judicio dogmatico est judex Ecclesiae supremus et ultimus; ut ex Articulo et Quaestione praecedentibus satis colligitur: ergo ejus sententia est irreformabilis; quia judex superior deest: ergo et ipse est infallibilis; quod ostenditur. Si in judicio dogmatico, ubi sententia est irreformabilis, judex non foret infallibilis, Ecclesia posset stringi a sententia fallibili et erronea, adeoque et ipsa falli ac errare: atqui hoc fieri non posse demonstratum est Cap. 1: ergo.

4<sup>o</sup>. Si Romanus Pontifex non esset infallibilis, nisi dependenter a consensu Ecclesiae, ergo Papa suam infallibilitatem mutuaret ab Ecclesia; nec majori gauderet infallibilitate, quam Episcoporum, imo Pastorum simplicium quilibet ex Ecclesiae probatione habere posset; nec scissae forsitan in partes Ecclesiae controversiam finire valeret. Atqui 1<sup>um</sup> est contra Scripturam, ex qua Ecclesiam solidari a petra, et fratres confirmari a Petro, non e converso rem fieri, novimus: 2<sup>um</sup> est contra universam Traditionem, ex cujus omnibus locis Pontifici infallibilitatem, tanquam singularem praerogativam attribui didicimus: 3<sup>um</sup> est contra historiam schismatis in Ecclesia frequentis, tempore Arianorum, Iconomachorum, Photianorum et Graecorum; ubi infallibilitas dogmatis non habebatur a consensu universalis Ecclesiae, utpote in partes distractae: nec ab accessu partialis Ecclesiae; quia sicut altera pars opposita, sic et illa hoc privilegio carebat: adeoque ab uno Pontificis judicio aut accessu provenisse dicenda est.

II. Ex momentis Facti. 1<sup>o</sup>. Tribus seculis primis damnatae sunt multae haereses a Rom. Pontificibus, praecipue Cerdonis et Valentini an. 155. ab Hygino ap. Euseb. L. 1. hist. c. 10; Theodoti an. 196. a Victore ap. eumd. L. 5. c. 27; Montani an. 215. a Zephyrino ap. Tertul. L. de jejun. c. 1; Novatiani an. 254. a Cornelio ap. Euseb. L. 6. c. 43; Pauli Samosatani an. 273. a Felice ap. Cyrillum in apol. pro 12. anathematismis. Damnatae autem sunt 1<sup>o</sup>. sine Conciliis; quia ad has maxime pertinet Augustini L. 4. ad Bonif. c. ult. dictum: *Haereses multo ac incomparabiliter plures extra Concilia, quam in illis, fuerunt condemnatae*: 2<sup>o</sup>. irreformabiliter; quia certo, constanter, et sine ulla haereseos posthac retractatione: 3<sup>o</sup>. jam ante consensum Ecclesiae, utpote qui illo persecutionum tempore aegre poterat innotescere; nec tamen suspensio fidei Catholicorum damnationis Pontificiae conscriptorum dici aut probari potest.

2<sup>o</sup>. Pontifices Romani tanquam jus Sedi suae proprium postularunt, ut causae omnes dogmaticae quarumlibet provinciarum ad se referrentur; prout ex Innocentii epist. ad Milevit. et Carthaginenses, ex Zosimi epist. ad priores, ex Gregor. L. 4. epist. 52. ipsisque Conc. Africanis constat: Episcopi passim judicaverunt, pronuntiate in his judiciis sententiae Pontificiae esse acquiescendum; ut praeter Africanos Patres Basilius epist. 52, Ambros. epist. Synodica Conc. Mediolanensis ad Siricum, Sophron. in allocutione Legati sui ap. Conc. Lateran. sub Martino, Ignatius Constantinopolitanus epist. ad Nicolaum alii-que testantur. Ergo utrique declararunt facto et praxi iudicium Pontificis esse irreformabile ac infallibile.

Illustratur hoc per effatum celebre Augustini, quod Serm. 2. de Verb. Apost. c. 10. de causa Pelagianae haeresis edixit: *Jam enim de hac causa duo Concilia missa sunt ad sedem Apostolicam: inde etiam rescripta venerunt: Causa finita est, utinam aliquando finiatur error!* Ex quibus constat 1. solis res-



eriptis Romanis quibus INNOCENTII sententia contra Pelagianos errores est lata, rem totam ita fuisse confectam, ut nedum in integrum, sed nec in dubium hæc fidei causa vocari amplius posset: 2. hanc irreformabilitatem jam convenisse sententiæ Pontificiæ ante Ecclesiæ consensum; cum a die 27. Januar. an. 417. quo Papa rescripserat, usque ad diem 23. Septemb. ejusdem anni, quo Augustinus sermonem habuit, et sic intra octo menses incompletos, perferri responsa Romana ad omnes Orbis Ecclesias, et inde Ecclesiarum consensus sive tacitus sive expressus referri in Africam nullatenus potuerint: atque hoc tanto minus possibile fuerit, cum non Innocentius, sed altero demum anno ZOSIMUS litteras Tractorias de hac causa ad universam Ecclesiam miserit. Similem auctoritatem habuit Zosimi sententia de facto dogmatico Pelagii et Cælestii, ut PROSPER in Chronico ad an. 418. refert: *Concilio apud Carthaginem habito ducentorum et quatuordecim Episcoporum, ad Papam Zosimum Synodalia decreta perlata: quibus probatis, per totum mundum hæresis Pelagiana damnata est.* Gemina his memorat Marius Mercator in Commonitorio, et addit Juliani aliorumque Episcoporum refractariorum oppositam appellationem Imperialibus Honorii legibus et sacerdotalibus Apostolicæ Sedis statutis compressam fuisse et abjectam.

3<sup>o</sup>. Ex dictis num. 177. in Confirmatione 2<sup>o</sup> part. Pontifex Concilii etiam œcumenicis præscribit normam et regulam definiendorum, a qua discedere congregatis non liceat: ibidem et in probatione prævia fatentur Patres ad eandem in decretis suis sequendam se obligari, factoque ipso eam sequuntur. Ergo Pontifex hanc normam præscribens debet esse infallibilis; cum Conc. œcumenicum illam alias sequi nec posset, nec deberet: neque infallibilitatem hanc accipit a consensu Concilii; quia rectitudinem regula non trahit a regulato, sed regulatum a regula.

Ab *Exceptionibus* refutandis abstinere licet. Quæ enim inter generales contra auctoritatem prima est, quod scilicet distinguere oporteat inter Sedem Apostolicam et Pontificem Romanum, jam in præfamine ad præsens Caput occupata fuit: præterea vero data opera factum est, ut testimonia diserta non minus de sedente quam de sede ipsa passim proferrentur. Altera, qua quidam Scripturæ aut Traditionis elogia, non de Pontificibus singulis, sed de omnibus tantum, seu de serie Pontificum continuata ac integra accipi volunt, frivola omnino est, sine fundamento ullo conficta, et si pari libertate ab aliis ad Ecclesiam transferretur, erronea. Postrema, quæ putat testimonium quodcumque enervari injecta hac clausula: si Ecclesia consentiat; alibi speciatim fuit refutata, alibi verbis ipsis exclusa: nullibi autem ex ipso textu aut scopo reperiet patrocinium.

Speciales cavillationes singulis locis hinc inde oppositas persequi præsentis instituti non est: quas tamen Natalis Alexander, putatitius Bossuet, et Tournelius in lucem dederunt, in Animadversionibus Constantini Roncaglia atque in Operibus Galli Cartier et Anonymi JClI Taurinensis dissolutas legere poterit, cui extremas contentionum fibrillas consecrari libuerit. Quæ restant, aut contra momenta Theologica obmoveri possunt, pleraque numeris sequentibus comprehenduntur.

192. *Objic.* Scriptura non favet, Ratio adversatur, Praxis Ecclesiæ est contraria infallibilitati Pontificiæ: ergo.

*Prob.* Textus allatos Patres exponunt alii de persona Petri, alii de Sede Apostolica, alii de Ecclesia vel Romana vel universali; ergo infallibilitatem Pontificum non probant; præsertim cum regula Tridentini prohibeat, Scripturæ textum, nisi secundum unanimum Patrum sensum, interpretari.

*Conf.* Si non tantum Ecclesia, sed etiam Pontifex foret infallibilis, deberet id Scriptura non minus clare et expresse de Pontifice, ac de Ecclesia, pronuntiare: sed hoc non facit; cum omnia in hanc rem testimonia variis contentionibus inter Catholicos sint obnoxia: ergo.

*R. ad Arg. N. Assert.* Ad *Prob. N. Cons.* Idem textus ex Aug. L. 12. Confess. c. 31. et D. THOM. Quodlib. 7. Art. 14. ad 5. multiplicem expositionem patitur, quarum quælibet, nisi oppositam offendat, ex divini etiam Auctoris intentione valet et probat. Allatarum expositionum nulla nostræ contrariatur: quin 1<sup>a</sup> supponitur; 2<sup>a</sup> et 3<sup>a</sup> nostræ congruit; 4<sup>a</sup> eandem, sicut totum præcipuam partem includit. Regula TRIDENTINI interpretationem sensui quem Ecclesia aut unanimes Patrum consensus tenet, congruentem æstimat et probat: iisdem contrariam reprobatur et prohibet: assertam a quibusdam Patribus, ab aliis autem omissam, non tamen exclusam, nullibi dicit illegitimam aut inefficacem; prout adversarii etiam fateri debent, iisdem textibus pro primatu aut alio dogmate probando uti passim soliti.

Ad *Conf. R. 1<sup>o</sup>. N. M.* Nec enim Scriptura est unica Theologicæ probationis sedes, nec æqualitas certitudinis in utraque thesi asseritur: cum infallibilitatem Ecclesiæ ut certam de fide, illam autem Pontificis ut minus certam defendamus.

*R. 2<sup>o</sup>. N. m.* Scripturæ quidem lux et claritas opinioni nostræ haud deest: quod tamen obnoxia sit Catholicorum contentionibus, facit permessa adhuc sentiendi libertas, vigensque apud homines sive ingeniorum sive studiorum diversitas.

*Inst. 1.* Potest dari Pontifex Scripturarum et Traditionis ignarus, vitæ insuper pessimæ et doctrinæ morum parum sanæ, qui aut nemine aut non nisi fidei osoribus in consilium adhibitis audeat aliquid definire: atqui dicere hujusmodi hominem aut definitionem esse infallibilem, est exspectare a tentatore Dei miraculum: ergo.

*Conf.* Episcopi sunt nati controversiarum fidei iudices; et hinc tum antequam post Pontificis definitionem judiciali sua auctoritate possunt res illas examinare ac discutere, sententiamque et iudicium de iis ferre: sed si Pontifex esset infallibilis, saltem post ejus definitionem examinare et judicare has causas non possent, sicque non iudices, sed Pontificis tantum Consiliarii ac meri Papalium constitutionum executores forent: ergo.

*R. 1<sup>o</sup>.* Idem casus est possibilis respectu Concilii Generalis, ubi omnem vel plurimam partem congregationis homines similis conditionis constituunt; quin tamen hinc negari queat Synodi œcumenicæ infallibilitas: unde sicut ubi respondendum est, sic nunc *R. 2<sup>o</sup>.* imprimis *N. M.* Quia, quamvis id physice possibile concedatur, moraliter tamen possibile non est ob suavem simul ac fortem Dei circa Ecclesiam providentiam. Deinde *N. M.* Non enim exspectari a Papa, humanis mediis penitus destituto aut abutente, infallibilem definitionem, præsumi tamen posse ac debere prudentiæ necessariæ usum, si definitio universam Ecclesiam obligans emanarit, num. 190. est declaratum.